

Werk

Titel: Spicilegia zoologica
Untertitel: quibus novae imprimis et obscurae animalium species iconibus, descriptionibus atque commentariis illustrantur
Autor: Pallas, Peter Simon
Verlag: Lange
Ort: Berolini
Jahr: 1770
Kollektion: vd18.digital; Zoologica
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN593874471
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN593874471>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=593874471>

LOG Id: LOG_0006

LOG Titel: GÖBIVS. SCHLOSSERL.

LOG Typ: chapter

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN391052381
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN391052381>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=391052381>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.


Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



GOBIUS SCHLOSSERI.

Gobiorum familiam forma corporis, pinnarum & oculorum plerumque situ *Blenniis* consobrinam, **G**RONOVIVS, Eleotrides separatim appellans aliquos, in duo genera distractit, quae tamen jure & natura in unum consociari debent. Ex hoc itaque naturali, & evidentissimo charactere pinnarum ventralium in unicam adunatarum dignoscendo genere varias species proponere visum est, quia paucissimae rite descriptae ac delineatae prostant. Quo insigniores enim Gobiis generis characteres Natura indidit, eo superiores fuere auctores in exponentibus specierum, quas adtigerunt, criterii. Ideoque, & quod festinanter haec conscripta sunt, nemo mihi vitio vertat velim, si forte unam alteramve Gobii speciem tanquam novam, propono, quam hic vel ille Ichthyologus, a me non

citatus, vaga aliqua definitione aut negligenti descriptione indigitare voluit. Vix tamen credo hujusmodi quid commissum fuisse, cum numerosissimum sciam esse genus Gobiorum, mihique, praeter hic descriptas, cognitae sint species auctorum pleraeque: ut, *G. Aphyta*, pinnis taeniolatis facile cognoscendus, a *G. minuto* maris Belgici, quem **GRONOVIVS** (*Zoophyt. Fasc. I. p. 81.*) pro *Aphyta* describit, ni fallor, diversissimus; *G. oceanicus* a **GRONOVIO** (*I. c. tab. 4. f. 4.*) & a **GAULTIERIO** (*Observ. periodiq. Vol. II. Mart. tab. 10.*) delineatus; & aliquot praeterea alii.

Prima Gobii species, quam in honorem *Viri Celeberrimi* mihique amicissimi **J. ALB. SCHLOSSERI** nominare debui, ab eodem inter Amboynenses pisces aliquoties acceptus mihique humanissime communicatus fuit. Accepit illum **SCHLOSSERVVS** noster sub nomine in India valde generali *Cabos* aut *piscis Chinensium* (*Chineesche vissch*), quia Chinensis solis in Insula degentibus in cibum cedit, indito. Referebat simul amicus, quasi amphibium esse hunc piscem, plerumque enim supra coenum in paludosis aquis jacentem periri. Jaculatur autem corpus ope pinnarum ventralium & ante omnia forte pectoralibus brachiatis; atque sic per superficiem aquae aut lutosorum vadorum celeriter fertur, avidissimus praedae, eamque non facile deferens. Venatur autem Squillas, Cancelllos, quaeque alia his similia occurunt. Ipse quoque infestos fugiens pisces in paludosi coeni superficie telo oxyus se proripere, & luto tandem abscondere dicitur. Pro tali vitae genere contigere ipsi pinnae, quae ad promovendum corpus praecipue inserviunt, etsi molles, ob crassitatem tamen & densitatem radiorum multifidorum non facile lacerandae; Deinde operculorum limbi, labiaque oris arête applicanda aperturis suis, ut lutum & aëris accessus arceretur; & oculos tandem defendens palpebra, seu periophthalmium, ut in Ranis, ab inferiore parte cornea obtendendum.

Situs oculorum in hoc & proxime sequentibus duobus Gobiis admirandus imprimis est, fortassis vitae generi convenientissimus. In summo vertice scilicet extra cranium protuberant his oculi, & contingui

tigui sibi accubant, eoque maxime, corneaeque duplicis defectu & insigni periophthalmio abludunt a structura in Cobitide, quae Anableps vocatur, observata.

Ceteroquin forma corporis pingui, teretiuscula, versus caudam vix adtenuata, capite declivi, labiis carnosis, operculis branchiarum strictis, squamulosis, pinnarum pectoralium basi carnosa, ventralibus in unicum, duodecim-radiatam coadunatis, dorsarium numero & structura Gobius Schlosseri fidum quasi praebet archetypum characteris naturalis Gobiorum, a quo vix una alteraque species longius recedit.

Huic ipsi, vel sequentium specierum alicui habitu & oculorum situ convenit piscis a VALENTINO (Ind. nov.-antiq. vol. III. p. 391. n. 140.) nomine bellico Lazakervissch descriptus. Itemque piscis, quem SLOANEVS nominavit: „Truttae congenerem, fluviatilem; the Modfish“ (Hist. Fam. vol. 2. p. 285. tab. 249.); quemque GRONOVIVS (Mus. Ichthyol. vol. 2. p. 16. n. 169.) descripsit. Propius ad Gobium Schlosseri accedit, & illum ipsum voluisse videatur LINNAEVUS (Syst. nat. Ed. XII. p. 450. sp. 7.) nomine Gobii barbari, ubi vero monendum, non pinnam dorsalem priorem, sed pinnam ani in nostro esse duodecim-radiatam, quod forsan minus recte in data definitione speciei, fugitive ut appetat facta, expressum fuit. Poterit tamen & ad sequentem speciem referri synonymon.

DESCRIPTIO GOBII SCHLOSSERI.

Tab. I. Fig. 1-4.

Magnitudo spithamea.

Caput corpore multo crassius, longum, convexe subtetragonum, squamosum. Frons sub oculis (fig. 3. d.), declivis, inaequalis.

*Os transversum. Labia alepidota, crassa (fig. 3. b. c.), carno-
sa, interne granulosa; superius duplikatum limbo antice lunato,
utrinque obtuso angulo dependente (fig. 1. 3. 4. a a.), versus angu-
los oris crasso, altiusque a subjacente labio separato. Dentes magni,
subulato-incurvi, inaequales, distantes, inordinate alterni, nec sym-
metrice dispositi (fig. 4.). Palatum carnosum. Lingua crassa,
carnosa, mollis.*

*Oculi in vertice anterius extra caput protuberantes, contigui,
attamen discreti (fig. 1. 2.); Pupillae ad latera versae. Sinus insignis
lunatus sub quolibet oculo, in quo complicatum jacet periophthal-
mum crassum. Nares non inveni.*

*Opercula branchiarum oblonga, squamosa, rescissa, margine
introrsum aucta, limbo membranaceo laxo, quasi valvuloso (fig. 4.
c c.). Membranae branchiales isthmo gulae connatae, tria continent
oscula, quorum infimum dimidio brevius (fig. 4. b b.)*

*Pinnae pectorales basi carnosae, teretiusculo compressae, squa-
mosae, ceu brachiis insidentes, radiorum 16. ramosorum (fig. 1. 2.)*

*P. ventralis paulo ante pectorales orbiculari-conchiformis, ra-
diorum 12. e crasso trunco multifidorum (fig. 4. d.)*

*P. dorsi dipterygii prior radiorum 8. simplicium, spinosorum,
sed infirmum. Secunda radiis instructa 13. ramosis, quorum poste-
riores sensim longiores.*

*P. ani dorsali secundae opposita, radiorum 12. e quibus tantum
tres ultimi ramosi.*

*Cauda ovato-acuta, radiorum 19. connumeratis adminiculis
extimis omnibus. Radii inferiores crassiores, ramis sere coaliti.*


*Corpus pingue, tereti-compressum, ventre planiusculum, ver-
sus caudam vix adtenuatum. Squamae per totum Corpus & Caput
majusculae, rotundatae, coriaceae, molles. Linea lateralis nulla,
nisi latera longitudinaliter devexa. Anus in medio corpore, retror-
sum dehiscens, adstante pedunculo genitali ligulato.*

*Color totius piscis, etiam pinnarum, fuscō-nigricans, lutarius,
sordidus; subtus inquinate albus.*

Mensurae

M E N S V R A E.

Longitudo tota ad extremum usque caudae	-	o'. 8". 9'''
— — capitibus usque ad margines opercularum	o.	2. 1.
— — caudae ab extremis squamis	-	o. 1. 2.
— — baseos carnosae pinnarum pectoralium	o.	1. 2.
Altitudo pinnae dorsi primae & ejusdem longitudo	o.	1. 4.
— — — secundae	-	o. o. 6.
Longitudo pinnae dorsi secundae	-	o. 1. 8.
— — pinnae ani	-	o. 1. 6.



D E C R I P T I O

G O B I V R E N A T T R E

GOBIVS



GOBIVS KOELREVTERI.

Quanta sit hujus cum *Gobio Schlosseri* affinitas, ex icone pariter & descriptione patet. Idque me praesertim impulit, ut hanc quoque speciem retractarem; quum tamen a *Cel. Koelreuter*, cuius illam nomini dedicavi, in *Nov. Commentar. Petropol.* vol. VIII, p. 421. fuse jam descripta sit, minime eleganti nec accurata icona adjecta. Anne apud alios quoque auctores occurrat, aliis, quibus plus est otii, disquirendum relinquo, & alio forsan tempore ipse requiram. Insignis speciei character est pinnae ventralis divisio; & operculorum concretio a *G. Schlosseri* praesertim distinguat. Patria ignota.

D E S C R I P T I O *GOBII KOELREVTERI.*

Tab. II. Fig. 1. 2. 3.

Magnitudo fere dodrantalis; totus mollis & infirmus.

Caput, ut in *G. Schlosseri*, longiusculum, crassum, fronte convexa, vertice pone oculos bimuscule, intermedio sulco oculos etiam interstinguente, & ad nucham bifido, ad musculum arrectorem pinnae dorsalis primae.

Oris

Oris labia duplicita, exterius antice pendulum & utrinque munitum, fere ut in praecedenti, pro oris angulis vero profunde sinuatum (fig. 1. 2. 3.). Interius & inferius labium carnosa, versus commissuram crassa, prolixa, pendula, antice crenulata & intus papillosa. *Dentes*, ut in G. Schlosseri, conici, anteriores majores, inaequales tamen: major supra utrinque unus, ceu caninus.

Oculi in summo capite contigui (fig. 2.), supercilio supra crassum, opaco, immobili; inferius periophthalmio plicatili instructi. *Irides* fusco - argenteae. Oculos ambit externe sulcus anterius ad oculos profundior, pone versus opercula obsoletius excurrens.

Narium apertura connivens, sub cantho palpebrae antico.

Opercula branchiarum subtilissime squamosa, undique adnata. *Apertura* ante pinnam pectoralem lunata, valvula cutacea, intra marginem operculi sita, clausilis. *Membrana branchialis* biradiata.

Pinna dorsi dipterygii prior magna, radiis spinosis infirmis 11 fulta, fusca, versus basin pellucidior, fascia terminali nigra, ultra quam limbus hyalinus. (Sic in pisce liquore condito) In alio specimine radii 12. Posticus radius dorso adnexus.

P. dorsi altera radiorum 13. ramosorum, e quibus posticum germinatum; Haec humilior priore, retrorsum tamen adsurgens sensim, colore subhyalino - flavescens, fascia longitudinali fusco - nigra.

P. pectorales insistentes brachio versus corpus latissimo, flabelliformes seu ovatae, 13 radiatae.

P. ventralis in duas partita (unico exemplo in genere *Gobiorum*); portiones tamen simul sumtae figuram suborbiculatam constituant, singula 6 radiorum e quibus extimus brevissimus, crassusque & indivisus.

P. ani humilis 11 radiorum (in alio pisce 10.) ab ano paululum remota.

P. caudae ovato-lanceolata, radiorum 11 ad 13. ramosorum, praeter adminicula utrinque plurima. Pinnae omnes molles.

Corpus gracilescens, molle, obesum, compressum, cauda vix adtenuata. *Linea lateralis* quasi impressa. Cauda subtus sulco profundo

fundo pro pinna ani & obsoletiore pro dorsali postica. *Anus* circa medium longitudinis, cui postice adstat pedunculus aphrodisiacus conicus.

Color piscis & pinnarum inferiorum gryleo-albidus, nempe in exemplis liquore spirituoso adservatis.

M E N S V R A E.

Longitudo tota ad extremum usque caudae	O. 5." 4."
— — capit is ad margin es operculorum	O. I. 3.
— — mediae caudae	O. O. II.
— — baseos carnosae pinn. pectoralium	O. O. 6 $\frac{2}{3}$.
— — pinnae impositae	O. O. 6 $\frac{1}{2}$.
Altitudo P. dorsalis primae	O. I. I.
Longitudo ejusdem	O. O. II.
Distantia hujus a fossula ante oculos	O. I. 3.
— — p. dorsi posterioris ab eadem fossa	O. 2. 4 $\frac{1}{2}$.
Longitudo hujus	O. I. 0.
Distantia pinnarum ventralium ab ore	O. I. I.
— — ani ab ore	O. 2. 5.
— — pinnae ani ab ano	O. O. 3.
Longitudo pinnae ani	O. O. 8.

GOBIUS



GOBIUS BODDARTI.

Nunquam elegantissimum huncce piscem me vidisse memini, nisi Ultrajecti, ubi A. 1766 in *Museo nitido DN. L JVLIAANS*, Pharmacopoei spectatissimi & Naturalis Scientiae cultoris acutissimi, prae aliis oculos feriit. Quumque animum meum, illam speciem inter Miscellaneas Observations describendi, laudato viro testificarem; inopinato accidit, ut paulo post a *Celeb. P. BODDAERT M. D. & Senatore quondam Vlissingensi* gravissimo, nunc Ultrajecti degente, cui tunc vix nisi nominetenus notus eram, mitterentur elegantissimae hujus piscis icones, quas Ipse duobus e speciminibus confecerat, una cum plena speciei descriptione, quam hic lubenter insero, laetusque occasionem arripi viri, qui me plurimis postea communicatis observationibus aliisque officiis valde sibi obstrinxit, laudandi humanitatem, atque in commune nobis studium ardorem.

Patriam Gobii nostri vix dubito esse Oceanum Indiae; imo forte ipse ille est, quem sub nomine (*Pitvisch*) e *NIEVHOFIO* excerptum recenset *WILLVGHBEJVS* (*Ichthyol. append. p. 6. tab. 8. n. 1.*). Convenit enim aliqualiter icon, pessima quamvis & in multis defectuosa. Convenire etiam videtur color, quantum e piscibus liquore servatis concludere licet, quem *NIEVHOFIVS* maculis coeruleis & flavis pulchre varium dixit. Quamvis enim reliqua, quae addit idem, (nempe quod pinna dorfi aculeata sit, quod piscis loca coenosa frequentet, tantoque impetu & velocitate sese projiciat, ut

ex una saepe fossa in aliam transiliat), potius in *Gobium Schlosseri* quadrare videantur, eidemque pinnas dorsales etiam NIEVH. icon similiores obtineat, tamen albae ejusdem iconis maculae prohibent. Forte ab utroque nostro distinctam, aut proximè praecedentem speciem voluit NIEVHOFIVS. Quae autem de suo pisce moriet, oculos pro lubitu eum protrudere & retrahere posse, ea nostris quoque speciebus, quae mirabili oculorum situ cum isto convenient, applicare minime dubito.

Convenit G. *Boddarti* cum plerisque sui generis pinnis ventralibus in orbicularem coadunatis, pectoralibus basi carnosis, dorsalisibus distinctis, caudali ovato-acuta, totoque demum corporis habitu. Hoc unicum tamen moneo, & ut a Cel. BO DDAR T O dubium, quod nunc cum illo communicare per tempus & distantiam locorum non licet, diluatur opto, quod radiorum in P. ventrali numerus, ob carnositatem forte pinnae, in extremitatibus multifidis numeratus fuisse videtur; nullam enim Gobii speciem novi, in qua numerus radiorum p. ventralis duodenarium superat. Sed crassi & ad basin fere usque multifidi radii in quibusdam imponere, & singuli pro pluribus haberi possunt.

D E S C R I P T I O *GOBII BODDARTI.*

Tab. II. Fig. 4. 5.

Magnitudo circiter Gobionis.

Caput brevius quam in *G. Schlosseri*, crassum, obtusissimum, subconvexum, a vertice sensim convexo-declive. *Maxillae* subaequales, labiis crassis, carnosis; praesertim superiore. *Dentes*. *Nares*.

Oculi anterius in vertice approximati, vix extra caput prominenti, oblongi, cute alba tecti (fig. 4.).

Opercula branchiarum squamułosa. *Membrana branchialis* livido-coerulescens, radiorum 4 vel 5.

Dorsum

Dorsum dipterygium. *Pinna prior* radiorum 5, cirrhiformium, quorum tertius longissimus, secundo paulo brevior, multo brevior quartus, primus quintusque vix ultra membranam pinnae prominuli. Membrana nigro coerulescens, atomis albis sparsa.

P. dorsi altera antrorum humilior, radiorum 25. setaceorum; nigro-coerulescens, albis lineolis inter singulos radios senis, transversis pulcherrime picta.

P. pectorales radiorum 21. rotundatae.

P. ventralis suborbiculata, conchiformis, ossiculorum 34. sub pectoralibus posita (fig. 5.).

P. ani radiorum 25. *P. caudae* coerulecenti-albida, radiorum 18.

Corpus pingue, convexum, vix ad caudam attenuatum, squamis parvulis molibus. *Linea lateralis* notata papillis vix conspicuis in singula squama singulis, maculisque hinc inde niveis. *Anus capiti* paulo propior circulo nigro cinctus. *Pedunculus* conicus pone anum (fig. 5.). *Color* piscis fusco coerulescens, s. Ardesiae similis, in ventre flavicante-albus. *Maculae* fuscae ad dorsum utrinque septem, totidemque in latere nigriores, punctis albis stipatae. In capite maculae fuscae albaeque sparsae.

M E N S V R A E.

Longitudo totius ad extremam caudam	6." 8."
— — capitis ad sinum branchiarum	1. 8.
— — caudae	1. 1½.
— — radii dorsalis longissimi	2. 8.


GOBIUS
LAGOCEPHALVS.

Quamvis hanc quoque speciem in *Nov. Comment. Petropol.* vol. IX. p. 428. tab. 9. f. 3. 4. descriptam & delineatam dederit *Cel. KOELREVTER*, tamen addo descriptionem plenioram & meo more, ut comparatio cum reliquis speciebus fiat facilior. Pisciculum ipse ex America habui. *KOELREVTERVS* e specimine *Musei Petropolitani* descripsit, ignoravit autem patriam. A Gobiis praecedentibus insigniter differt haec species; epicephalops enim non est, & capitum formam plane peculiarem habet, pinnamque ventralem magis cotoyloideam, quam congenerum quisquam.

D E S C R I P T I O
GOBII LAGOCEPHALLI.

Tab. II. Fig. 6. 7.

Magnitudo digitalis, forma cobitidis.

Caput breve, crassum, maxilla superiore haemisphaerica, crassissima (fig. 6.).

Os transversum Bufoninum, labio superiore carnosum, crassissimum, ultra mandibulam valde prominente, obsoletissima vix ruga extus duplikato; inferiore plano, evidentius duplikato, versus angulos oris lobulo

Iobulo notato. Utrumque labium in medio emarginatum, & ad oris angulos profundius duplicatum (fig. 7.).

Dentes : limbus palati tentis denticulis minutissimis confertis ferratus; maxilla inferior denticulis aliquot paulo majoribus, uncinulatis, subaequidistantibus. Palatum aliquot arcubus costatum.

Lingua nulla.

Oculi supra caput distantes, parvi, cuncte communi obducti. Periophthalmium nullum.

Nares pori ante oculos; medioque inter has & oris labium pori alii, utriusque connientes.

Opercula branchiarum, ut caput totum, alepidota, adnata; Scissura ad pinnas pectorales latitudine harum, limbo cutaceo operculi valvata. Membranae branchialis radii 3.

Pinna dorsi dipterygii anterior sexradiata; radii simplices, postremus longior.

P. dorsi altera radiorum 11. ramosorum.

P. pectorales lanceolato-ovatae, basi vix carnosae, radiis compositae 15.

P. ventralis cotoyoidea, radiis utrinque 4. brevissimis, multifidis, confertis, & antice pedunculo utrinque cartilagineo, cuneiformi; quibus interjecta membranula oram cotulae antice perficit (fig. 7.)


P. ani ab ano vix remota, 10 radiata. Cauda ovali-rotundata, radiorum 12. ramosorum, praeter adminicula.

Corpus teres, versus caudam compressum, nec attenuatum, squamis minutis testum, totum ex gryleo fusco-nigricans. Anus in medio corpore, adstante postice papilla aphrodisiaca. Linea lateralis nulla.

M E N S V R A E.

Longitudo tota piscis ad extr. caudam	o. 3." 10."
— capit is ad scissuram branchiarum	o. o. 9.
	Longitudo

Longitudo distantiae oculorum a scissura	o. o. ¹¹	4 ¹¹
— — diametri oculorum & intervalli inter		
narium aperturas unius lateris	o. o.	1.
— — intervalli oculorum & narium posti-		
carum oppila	o. o.	4.
— — — — narium anteriorum	o. o.	3.
Subdito — — — — narium posticarum ab		
oculis	o. o.	2.
— — — — a labio ad pinnam dorsi primam	o. o.	1 $\frac{1}{2}$.
— — — — hujus pinnae	o. o.	5 $\frac{1}{2}$.
— — — — a labio ad secundam dorsi p.	o. I.	9.
— — — — hujus pinnae	o. o.	10.
— — — — s. diameter acetabuli	o. o.	4.
— — — — pinnarum pectoralium	o. o.	8.
— — — — a maxillae margine ad acetabulum	o. o.	6.
— — — — ad anum	o. 1.	5.
— — — — pinnae ani	o. o.	9 $\frac{1}{2}$.
— — — — caudae	o. o.	8.



M A M B A E

GOBIUS

GOBIUS CYPRINOIDES.

Gobius Cyprinoides, Amboynensis species, quam e Museo D^N. van HOEV, Senatoris & Poliatri Hagani, describo, exemplum praebet habitus a congeneribus aberrantibus. Figura enim a Gobiis mihi notis omnibus diversissimus est, atque Sparum potius seu Cyprinum refert. Nihilo secus per plicam in fronte longitudinalem servat affinitatem, quae inter Gobios atque *Blennios*, quibus hujusmodi ornamentum solemnius est, intercedit.

DESCRIPTIO *GOBII CYPRINOIDIS.*

Tab. I. Fig. 5.

Magnitudo digitalis.

Caput corpore paulo crassius, te^trum cute molli, in qua lineae subtilissimae, crenulatae ut videtur, decussantes varie.

Os labiatum: Maxillae denticulis subaequalibus, minutis pectinatae. *Lingua* plana, mollis, obtusa.

Oculi laterales. Nares: pori proxime ante oculos.

Crista inter oculos incipiens & ad oculos perducta, velut plica cutacea, nigricans, fermilanceolato-longitudinalis.

Membrana branchialis quadriradiata, subtus tota adnata, ut congeneribus omnibus.

C

Pinnae

*Pinnae dorsi dipterygii majusculae, prior altior radiorum 6
simplicium; altera radiorum 10. ramosorum.*

P. pectorales latae, basi breviter carnosae, 18. radiatae.

*P. ventralis duodecim - radiata: radio extimo breviore atque
indiviso; quod in Gobiis omnibus.*

*P. ani radiorum 9 (in aliis duobus speciminibus 10.), quorum
primus simplex seu indivisus. P. caudae rotundata, radiorum 15.
ramosorum, praeter fulcra; membrana inter radios fusco - tessulata.*

*Corpus compressum, crassiusculum, convexum, versus Cau-
dam parum adtenuatum, macrolepidotum, squamis subciliatis. Li-
nea lateralis vix conspicua. Ano adstat pedunculus aphrodisiacus
adtenuatus, obtusiusculus, in fossula recumbens, insignior quam
congeneribus.*

Color piscis fusco - gryseus, subtus albidior.

M E N S V R A E.

<i>Longitudo tota clauso ore</i>	-	o. 3. ¹¹	5. ¹¹ .
— — capitis ad marginem opercularum	-	o. o.	10.
<i>Distantia ocolorum inter se</i>	-	o. o.	2.
— — a maxillarum margine	-	o. o.	3.
— — pinnae dorsi prioris ab ore	-	o. o.	11.
<i>Latitudo pinnae dorsi prioris</i>	-	o. o.	5 ¹ ₂ .
<i>Altitudo ejusdem</i>	-	o. o.	7.
— — secundae	-	o. o.	5 ¹ ₂ .
<i>Latitudo ejusdem</i>	-	o. o.	8.
— — pinnae ani	-	o. o.	6.
— — corporis summa ad P. dorsi priorem	-	o. o.	10.
<i>Crassities corporis summa</i>	-	o. o.	5.
<i>Longitudo pinnae ventralis</i>	-	o. o.	7.



CORYPHAENA VELIFERA.

Forma, colore & moribus admirandos pisces innumeros in Oceano utriusque Indiae, praesertim Orientalis, dari, quotidie novis edocemur exemplis, occipimusque minus jam suspiciosi & inqui esse circa piscium monstrosas & variegatissimas picturas, quarum ex India missarum passim apud Belgii curiosos fasciculi occurunt, quarumque aliquot tabulas olim HENRICVS RYVSCHIVS, plures deinde VALENTYNVS, & demum numerosissimas coloribusque suis illustratas RENARDVS (*Poissons, Ecrevisses & Crabes* cet. Amsterd. fol.) aeri incisas communicarunt. Pleraque ex illis ad Naturae archetypa, quamquam rudi & incauta manu, ab imperitis in India pictoribus, confectas fuisse, quotidie minus & minus dubium mihi videtur; certoque affirmare ausim, has omnes histrionicas, Chinensium picturarum more, & monstrosas icones, quando ipsi, quorum difformes imagines sunt, Indiae pisces innotescant, dignoscere sensim & ad species referre facile negotium futurum.

Coryphaena, cuius hic iconem insero, inter praedictas Indicas picturas mihi quidem nunquam obviam facta est; verum enormitate structurae aliquam pariter fidem addet Renardianis similibusque, quae modo recensui, iconismis (*); quorum etiam in subsequentibus paginis alias, ipsorum, quos ruditer exprimunt, piscium fidis descriptionibus illustrabo.

C 2

Non

* Copiosissimum hujusmodi picturarum archetyparum thesaurum imprimis possidet Clariſſ. HAGEN, Poliater Amstelodamensis felicissimus.

Non facile quidquam¹ in rerum natura invenio, cujus causa² & institutum magis obscura mihi videntur, quam pinnarum in hac nostra Coryphaena abnormis amplitudo. Si verum sit, quod nonnulli volunt, pinnas impares piscium, dorsales nempe & analem, tantum ad librandum corpus & dirigendum motum rectilineum servire; quid huic pisci, pro macro, plano & expedito corpore, tantis velis opus sit, non concipio. Evidem hae pinnae ad promovendum corpus in plerisque piscibus non videntur inservire. Principales in eo partes, cum cauda, agere pinnas pectorales, probat earum in omnibus ferme natatibus praesentia, etiam ubi reliquae pinnae exiguae vel nullae sunt, ut in Piscibus branchiostegis & animalibus setaceis. Attamen si concedas, (exemplo Trichiuri, Gymnotorum & Muraenarum, quibus pinna ani sola fere natatum undulatorium praestat,) ista vela natati inservire; tamen amplitudo tanta pro solo natatu non requirebatur. An ergo undulatione eorundem etiam extra aquam sese efferre & volatum quandam exercere potest Coryphaena nostra, in quem solis pinnis pectoralibus Exocoetus, atque Pegasus, & ad pectorales succenturiatis Trigla volans & Scorpina volans (a) sufficiunt? Nisi hoc sit, cui bono tantas membranas latitudini hujus piscis verticali, quae cum exquisita corporis exilitate satis insignis est, addiderit natura, non intelligere me fateor.

Quod pro rarissimae hujus Coryphaene descriptione & iconē exarandis adhibui specimen eleganter siccatum, humanissime communicavit Cel. ALLAMAND e Museo ACADEMIAE Lugdunobatavae, quod totum suae curae & in res naturales amorī debetur, quodque egregio & ubique imitando exemplo Curiosis omni tempore & ad quemlibet honestum usum liberaliter & candide patet.

Coryphaenam nostram australioris Indiae oceani civem esse scio; nescio autem quaenam sit summa, ad quam excrescat, magnitudo, & itineratoribus, qui ista adibunt maria, observandum relinquo.

DE-

(a) Gasterosteus volans LINNAEI *Syst. nat. ed. XII. p. — sp...* est vera Scorpina, quod imprimis capitris forma arguit. Gasterosteum non esse, aculei dorsales basi connexi & cauda lateraliter non carinata arguunt.

D E S C R I P T I O
CORYPHAE NAE VELIFERA E.

Tab. III. Fig. 1.

Corpus cathetoplateum, planum, tenue (quod etiam in siccato specimen, e squamarum dispositione, luculenter perspicitur), versus caudam aequaliter adtenuatum. *Anus* sub gula, ad *litt. a.* *Tabulae.*

Caput squamatum, ut corpus compressum, retusum. *Os* ascendens, profunde ruscissum; maxilla utraque *denticulis* subulato-incurvis, minutissimis ciliata: inferior, paulo longior, serie dupli, superior simplici.

Oculi majusculi, iridibus aureis. *Squamae* capitis truncatae, subintegrale. *Membrana branchialis* septemradiata.

Pinna dorsi a fronte incipiens & fere ad caudam extensa, maxima, radiorum 55; quorum primus brevissimus, secundus vix longior, ambo, cum tertio elongatiore, triquetro-subulati, ossi; reliqui setacei, a 9. ad 17. longissimi, retrorsum sensim breviores.

Pinnae pectorales mediocres, acuminatae, radiorum 14; *ventrales* mininiae, subuniradiatae (fig. 1. a.).

Pinna ani ante pectorales incipit & ad caudam terminatur, pariter maxima, radiis circiter 51. praedita, quorum primus, ut in dorsali, brevissimus & cum secundo, praelongo, triquetro-subulatus, crassiusculus, osseusque est; reliqui sensim setacei, a quinto longissimo sensim decrescentes.

Cauda profunde bifurca, radiorum 22. praeter terna utrinque adminicula.

Squamae corporis majusculae, tenues, tenerrime striatae, triangulares, apice profunde emarginatae, basi autem singulae notatae *spina* brevi, recumbente, quam antecedentis squamae crena suscipit. Series squamarum, adeoque & spinarum, in corpore longitudinales utrinque undecim. At squamae pinnae dorsi & ani longitudinaliter

accumbentes majores sunt, rhombicae, nec spina notatae, & singulæ radiorum intersticiis respondent.

Color squamarum ubique aequabilis, cinereo - argenteus, nec aptius comparandus, quam cum colore *Lepismae saccharinae* (Lin. *syst. nat. Ed. X. p. 608. sp. 1.*) Pinnarum longitudinalium *membra- nae* tenuissimæ, & tenerrimæ, fuscae, cano - guttatae; *pectorales* & cauda albidiiores. *Pinna* ani antico margine cum primis radiis, candida.

M E N S V R A E.

Longitudo piscis ab ore summo ad initium pinnae caudæ

1. 2. 6.

— — capitibus a summo ore, ad opercularum margines

0. 2. 8.

— — scissuræ oris

0. 1. 1.

Latitudo s. altitudo summa, pone basin P. pectoralium

0. 3. 9.

— — ad initium pinnae ani

0. 3. 3.

Longitudo radii pinnae dorsalis primi

0. 0. 4.

— — secundi

0. 0. 6.

— — tertii

0. 4. 6.

— — tredecimi & aliquot sequentium longissimorum

0. 10. 6.

— — laciniarum caudæ

0. 2. 0.

— — pinnarum pectoralium

0. 2. 6.

— — radii in Pinna ani primi

0. 0. 3.

— — secundi

0. 3. 9.

— — sexti & septimi, longissimorum

0. 10. 0.

CORY.

CORYPHAE NA FASCIOLATA.

Elegantissimum huncce pisciculum, inter alia marina, una cum sequenti, ex Amboyna transmissa, ab Amico accepi, & *Coryphaenae veliferae*, minus memorabilem, subjungo. Est quasi in suae genere pygmaeus; vix tamen dubito ad majorem molem adolescere, sed majora specimina non vidi, quam quod hic delineatur.

DESCRIPTIO *CORYPHAE NAE FASCIOLATAE.*

Tab. III. Fig. 2.

Magnitudo bipollicaris; Habitus elegantissimus, strictus.

Caput conicum, declive, vertice planum. Os mandibulis mobilibus, margine subtilibus denticulis ferratum, angulis rectus prolixis. Lingua plana, rotundata, laevis.

Oculi magni, plani, iridibus aureis. Nares ante oculos, posteriores ampliae, anteriores ictis proximae, minutissimae.

Opercula branchiarum bilaminata, integerrima, rotundata, apertissima. Membranae branchiosregae rescissae, sexradiatae.

Corpus tereti-compressiusculum, strictum, eleganter & aequaliter adtenuatum. Stria lateralis tenuiter prominula, recta, antrorum versus nucham declinando adscendens. Anus in medio corporis.

Pinna

Pinna dorsalis a nucha fere ad caudam aequabilis; vix retrorsum latior, radiorum 54. quorum paria alterna, cum interjecta membrana fusco nigrent.

Pinnae pectorales radiis constant 19. tenuibus.

Pinnae ventrales tantillo posteriores (fig. 3.) e radiis robustioribus 5.

Pinna ani ab ano incipiens, radiorum 27. lituris, quae fasciis corporis respondent, fuscis varia.

Pinna caudae profunde bifurca, radiorum 17. notata lunula fusca, cornibus latis in lacinias protensa.

Color lacteo-argenteus, ad dorsum subgryeus; rivuli transversi fusti, a fasciis pinnae dorsalis desfluentes, & ad dorsum passim cohaerentes, in ventre vero deficientes. Caput, nisi supra, totum lacteo argenteum. P. ventrales atque pectorales hyalinae.

M E N S V R A E.

<i>Longitudo</i> pisciculi tota, ad extremum caudae	o. I.	2.ii	7 $\frac{1}{2}$.ii
— — — capitis, ad operculorum margines	o.	o.	7.
— — — laciniarum caudae fere	-	o.	5.
— — — ab ore ad pinnas ventrales	-	o. o.	7 $\frac{1}{2}$.
— — — ad anum	-	o. I.	2.
— — — pinnae ani	-	o. o.	10.
— — — ab ore ad pinnam dorsi	-	o. o.	6.
— — — pinnae dorsalis	-	o. I.	7 $\frac{1}{2}$.
— — — pinnarum pectoralium	-	o. o.	4 $\frac{1}{2}$.
— — — ventralium	-	o. o.	5 $\frac{2}{3}$.

CALLIO.



CALLIONYMVS OCELLATUS.

Callionymi, Uranoscopus atque Cotti ita affinia inter se sunt genera, ut una serie recenseri mereantur; Quumque etiam pinnarum ventralium situ Cotti vix a Callionymis differant, mirari satis nequeo *III. LINNAEVM* illos diverso plane in ordine collocasse. Tria haecce genera, quorum tamen secundum a Callionymis minime distingendum esse puto, alio tempore plenius illustrabo. Interim notatu digniores species e Callionymis hoc loco describam.

Prima erit, quam Amboyna saepiuscule missam vidi, digitali nunquam major, & ob pinnae dorsalis prioris in femella pulcritudinem, ejusdemque in altero sexu parvitatem, maxime notabilis. Simile enim sexualis differentiae in piscibus exemplum haud novi. Nisi forte, quod suspicor, in aliis Callionymorum speciebus, v. gr. *Lyra*, a quo *Dracunculus* (*LIN. sp. 1. 2.*) & varietas a *GRONOVI* *Zoophyt. Fasc. I. p. 23. n. 65.* vix nisi sexu differre videtur, similia reperiantur. In Cottis etiam nonnullis sexuales reperi differentias, suspicionem mihi movet *Cottus quadricornis* (*LIN. sp. 2.*) cuius minora speciminia, quae vel juniora, vel alterius sexus esse videntur, exostosis capitis cariosis prorsus carent; quam quidem differentiam in posterum observationibus stabilire adlaborabo.

DESCRIPTIO
CALLIONYMI OCELLATI.

Tab. IV. Fig. 1. - 3.

Magnitudo vix digitī minimi.

Caput minus & acutius, corpus obesius, quam congeneribus reliquis, vix depresso; vertice planiusculo, rostro obtuso, simulo.

Os in apice rostri exiguum; labiis carnosis, tumidulis, superiore insigniter duplicato. Maxillae scabrae.

Nares pori tubulosi ante oculos.

Orbitae subcontiguae, supra laxa pelle aequatae; oculi parvi, laterales, periophthalmio semiclausiles.

Opercula branchiarum acuta, unispinosa, laxa cute, cum membrana branchiali, obducta & undique adnata; apertura ad nucham utrinque simplex. Membrana branchialis radiorum 5 vel 6, extus punctata.

Pinna dorsalis prior, in majoribus speciminiibus seu FEMINIS magna (Tab. IV. fig. 1.), lata radiorum quatuor simplicium, sed flexilium, setaceorum. Membrana inter radios picta inferne & inter 2 posticos radios fasciolis vagis fuscis, linea nigro marginata alba inclusis, interiectisque lineis similibus; superne lineis tantum creberri-mis, & inter tres priores radios ocellis quatuor magnis, fuscis, centro atris, circuloque albo, nigro marginato cinctis.

In Masculo minori specimine (fig. 2.) pinna eadem minuta, item quadriradiata, tota nigra, altitudine & latitudine vix 2¹¹⁰. superans.

*Pinna dorsi posterior humilior, radiorum 8. subaequalium, ramosorum, pictaque lineis albis, marginatis, parallelis, directione oblique longitudinali, quarum interstitia interrupte fusca. In mascu-
lo*

lo simillimam deprehendi, nisi quod minus distinctis lineis, sed tan-
tum maculis ad radios fuscis picta esset.

Pinnae pectorales viginti radiorum, e quibus medii longiores;
hyalinae, basi albo punctatae, radiis bis fuso interruptis. Com-
plicatae apicibus ventrales aequant.

Pinnae ventrales jugulares (fig. 1. & 3.), magnae, aliformes,
laciniatae, nigrae, margine albae; radiis instructae 5, crassissimis
& ramosissimis.

Pinna ani nigra, basi alba, serrata, radiorum 7. e quibus duo
priora setacei, reliqui bifidi.

Cauda rotundata, radiorum 10, fuso interruptorum; basi
albo punctata.

Corpus teretiusculum, adtenuatum, prope caput depresso-
lum. *Linea lateralis* stria seu plica a nucha ad caudam recta, spinae
propior & parallela. *Anus* paulo ante medium corporis. *Pedunculus*
exiguus, conicus in fossula pone anum recumbens in feminis
(fig. 3.); qui minori specimini seu masculo aberat.

Color plerumque cinereo fuscoque marmorosus, punctis in ci-
nereo emicantibus, albis. *Subtus* albidus; labia etiam oris alba.
Masculum quod vidi specimen, erat subtus quoque fuliginosum, sed
maculis alvo adstantibus non, ut reliquae, cinereis, sed lacteis.
Cauda huic quoque non bis fuso interrupta, sed fascia latiore fusca,
& ceteroquin albidior.

M E N S V R A E.

In majori specimine femineo:

Longitudo tota ab ore ad caudae finem	-	2. ¹¹	10. ¹¹¹
— — capit is ad foramina nuchae	-	0.	7 ¹ ₂ .
— — ab ore ad pinnam dorsi primam	-	0.	8 ¹ ₂ .
Altitudo ipsius pinnae prioris	-	0.	11 ¹ ₂ .
	D 2		Latitudo

Latitudo pinnae ad dorsum	0. ⁱⁱ	5. ⁱⁱⁱⁱ
— — pinnae dorsi secundae	0.	8.
Distantia a fine P. dorsi posticae & ani ad caudam	0.	6.
Longitudo caudae	0.	8.
Ab ore ad anum	1.	1.
Latitudo pinnae ani	0.	8.
Distantia minima inter pinnas ventrales (fig. 3.)	0.	3 $\frac{1}{2}$.
Longitudo pinnarum ventralium	0.	7 $\frac{1}{2}$.
— — pinnarum pectoralium	0.	6 $\frac{1}{2}$.
— — labii superioris cum ore protracti	0.	1.

In alio specimine cuius conformatio & magnitudo erat simillima, pinnae dorsi prioris altitudo fuit tantum 10.ⁱⁱⁱⁱ

In specimine masculo longitudo tota erat tantum 2.ⁱⁱ 2 $\frac{1}{2}$.ⁱⁱⁱⁱ & pinnae dorsi altitudo & latitudo vix ultra 2.ⁱⁱⁱⁱ



M E A S U R E

CALLIO-

CALLIONYMVS *SAGITTA.*

Hanc mihi speciem communicavit *Amicus optimus Cel. J. A. SCHLOSSER*, cui plura exempla digitalis circiter magnitudinis ex Amboyna missa fuerant. Ex his tantum unicum ramento membranae inter medios radios caudae instructum supererat, reliqua vel amiserant illud, vel sexualis forte differentia in defectu ejus consistere crederida est. Capitis forma acute triangularis, & spinae ex operculis retrorsum prodeentes nomini triviali ansam dederunt.

D E S C R I P T I O
CALLIONYMI SAGITTAE.

Tab. IV. Fig. 4. 5.

Magnitudo quam figura exprimit.

Caput magnum, latum, valde depresso, triangulare, rostro subacuto.

*Os in apice rostri parvum, labiis exilibus, superiore anguste
duplicato. Maxillae scabrae; lingua brevissima, semidiscoidea,
plana.*

Nares pori gemini paulo ante orbitas; altero minore.

Orbitae in antica verticis parte contiguae, margine prominulae.
Oculi exigui, corio laxo ambitu cincti. *Irides* argenteae.

Opercula mollia. *Lamina* prior mucronata, *spina* terminali, longa, subulata, interne denticulis retrorsum serrata, seu hamata, basi cute vaginante semi-inclusa. *Posterior* lamina usque ad pinnas pectorales extensa, lata, undique adnata. *Spiracula* supra nucham. (fig. 4. a.a.) *Membrana* branchiostega, sub uniformi cute latens; (fig. 5.) *radii* dissecta cute apparent tres, exilissimi cornei, apice velut in pilum operculi marginem legentem elongati.

Pinna dorsi prior parvula, quadriradiata, postice fascia atra. *Secunda* hyalina, radiorum 9, qui fusco albidoque varii.

Pinnae pectorales radiis instructa 11. fusco albidoque variis, posticis seu inferioribus sensim longioribus.

Pinnae ventrales mediocres, fusco punctatae, jugulares laci-niatae, postice basi membrana auctae. *Radii* 5. ramosissimi, anteriores sensim minores.

Pinna ani serrata, humilis, radiorum 8, quorum nonnisi ultimus ramosus (fig. 5.).

Cauda radiorum 10, extremo rotundata, superiore parte fusco maculosa. E media caudae membrana *ramentum* molle, setaceum, longitudine ipsius caudae, in quibusdam (fig. 4. b.).

Corpus macrum, prope caput depresso, reliquo adtenuatum, convexo-tetraedrum. *Linea lateralis* recta, versus caput obsoleta.

Anus paulo ante medianum corporis.

Color subitus gryseo albidus, supra fuscescens, gryseo canescente nebulosus, seu marmorosus.

longitudine ipsius corporis, versus caput obsoleta.

Color subitus gryseo albidus, supra fuscescens, gryseo canescente nebulosus, seu marmorosus.

longitudine ipsius corporis, versus caput obsoleta.

Color subitus gryseo albidus, supra fuscescens, gryseo canescente nebulosus, seu marmorosus.

longitudine ipsius corporis, versus caput obsoleta.

Color subitus gryseo albidus, supra fuscescens, gryseo canescente nebulosus, seu marmorosus.

longitudine ipsius corporis, versus caput obsoleta.

Color subitus gryseo albidus, supra fuscescens, gryseo canescente nebulosus, seu marmorosus.

longitudine ipsius corporis, versus caput obsoleta.

Color subitus gryseo albidus, supra fuscescens, gryseo canescente nebulosus, seu marmorosus.

longitudine ipsius corporis, versus caput obsoleta.

M E N S V R A E.

Longitudo tota


— — a rostri apice ad spiracula	3. "	1.
---------------------------------	------	----

— — ab orbitis ad apicem rostri fere	0.	7.
--------------------------------------	----	----

— — ab orbitis ad apicem rostri fere	0.	3.
--------------------------------------	----	----

Longitudo

Longitudo ab orbitis ad spiracula		0. ¹¹	2 $\frac{1}{2}$. ¹¹
— — mucronis operculorum		0.	2 $\frac{1}{2}$.
Latitudo capitis ad mucrones	-	0.	8.
— — — pone spiracula	-	0.	8 $\frac{1}{2}$.
A rostro ad initium pinnae dorsi prioris		0.	9.
Latitudo ejusdem	-	0.	4.
Distantia secundae	-	0.	1.
Latitudo hujus	-	0.	9 $\frac{1}{2}$.
Altitudo utriusque circiter		0.	3.
Distantia secundae a cauda		0.	6.
Longitudo pinnae caudalis	-	0.	8.
— — pinnarum pectoralium		0.	6.
— — — ventralium	-	0.	7 $\frac{1}{2}$.
Distantia pinnarum ventralium (fig. 5.)		0.	6.
— — ani ab ore		1.	3.
— — pinnae ani a cauda		0.	4 $\frac{1}{2}$.
Latitudo pinnae ani	-	0.	9 $\frac{1}{2}$.
Longitudo oris protracti	-	0.	2.



FISTU-



FISTVLARIA PARADOXA.

Pisciculus hicce admirabilis, uti jam supra monui, ex Amboyna missus fuit, mediumque locum inter *Syngnathum Hippocampum*, cui integumenti structura similis est, atque Fistularias tenet; ut dubius haeserim ad utrum potius genus referrem, nisi pinnarum ventralium praefentia & situs, lamellaque arcuata operculis branchiarum subtus adjecta Fistulariam vocare suassissent.

Quamquam ejus Iconem jam invenerim in *Thesauri SEBAE* vol. III. p... tab... fig... ubi Solenostomus vocatur, tamen non visa est talis, ut ideo novam, quam in *Tabulam nostram* conjectram dudum, delendam putaverim. Multoque minus sufficit adjecta l. cit. descriptio.

Pinnarum ventralium in pisciculo nostro situs, magnitudo, cohaesio sunt ejusmodi, ut ad peculiarem necessario usum destinata videri debeat. Forte in sacco, quem efformant, ova sua circumfert pisciculus, donec excludantur; uti Didelphis imperfectissimos catulos intra saccum abdominalem maturare solet. Sic in *Sygnatho*, (ni fallor, non enim bene notavi) *pelagico* ova rupto longitudinaliter abdomine protrusa & seriatim maternae alvo adhucdum inhaerentia vidi. Sed anne tunc masculis Fistulariae nostrae eadem erit constitutio sacci ventralis? Et quanam ratione sperma masculi ad ova, laxo sacco latentia pervenit? Haec difficillime explicantur! Imo ne in *Syngnathis nostratis* (*Acu & Typhle*) viviparis quidem adhucdum scimus, anne masculi ope, per intromissionem spermatis, foetura

foetura foecundatur, quam aestate in omnium matrum alvo copiose vivam reperimus. Nemo circa hanc rem curiosior fuit. Ego fere dubitare coepi, an dentur in horum pisciculorum specie masculi, quum nuper (Mens Jun. 1767) ad Holsatiae littora, inter Squillas copiose captos hujusmodi pisciculos omnes foeminini sexus esse & etiam juniores omnes foetura repletos repererim, neque unicum masculum. Disquirant alii rem omni certe adtentione dignissimam.

DESCRIPTIO FISTVLARIAE PARADOXAE.

Tab. IV. Fig. 6.

Magnitudo bipollicaris.

Caput leviter inclinatum, parvulum. Sed *rostrum* longissimum, descendens, rectum, corneum, compresso planum, supra argutum, subtus longitudinaliter bicostatum & *ramentorum* nigrorum tribus paribus aequidistantibus barbatum. *Spinula* conica utrinque ad dorsum tubi, $\frac{1}{2}$ fere longitudinis ab oculis.

Maxillae in apice adscendentes, acutae, lateraliter item complanatae, sed dilatabiles; inferior paulo brevior. *Os* exiguum, maxillis tantum apice discedentibus.

Oculi ad basin rostri magni. *Spina* utrinque ante orbitas triquetra, antrorsum versus spinam rostri excurrens stria, inter duo canaliculos parallelos. *Costa infra-orbitalis*, costis carinae tubi continua, denticulata. *Nucha* capitidis trimuricata.

Opercula branchiarum tenuissima, parva, lineis aliquot prominulis radiata, subtus aucta *lamella* unica arcuata. *Branchiae* 4. utrinque transversae, vix arcuatae, brevissimae, *villis* crassis seu papillis extus dupli ordine obsitae.

Pinnæ pectorales unicolores, latissimæ, in linea prominula, arcuata, superius branchiis propiore ortae, radiis circiter 25. brevibus, tenellis.

E

Pinna

Pinna dorsalis prior in loco dorsi prominentissimo exsurgens, longa, reclinata, fasciolis nigris picta, quinqueradiata, mediis tribus longissimis, omnibus simplicibus.

Pinna dorsi posterior anali opposita, infidens alae carnosae, quae summo radiis circiter 18. exilibus pectinata est.

Pinnae ventrales maxima, e radiis septem profunde multifidis factae, ortu dorsali priore paulo anteriores, abrupte prominentissimo ventris loco insidentes, reclinatae & inter se, lateribusque corporis laxa membrana longitudinaliter connexae, unde oritur foccus longitudinalis, postice deficiens, intra quem alvum retractam, inacilientam, mollem invenias.

Pinna ani in ala carnosa proxime ad finem ventralium, circiter 12. radiata. *Anus* proxime ad alam.

Pinna caudae mediis radiis elongata, lanceolata, dorsali priori similis, 14 radiata; radii sex medii longissimi.

Corpus cathetoplateum, totum (ut in Hippocampo) lineis argute prominulis, duris, longitudinalibus & transversis reticulatum, & spinis ad linearum intersectiones muricatum. Anterior corporis pars areolis inordinatioribus obliquatis, & triangulari ante pinnas pectorales; Haec pars subdecaëdra, dorso nempe perfecte triëdro, abdome vero tantum versus pinnas ventrales subtriëdro. Latitudo corporis summa ad ortum pinnarum ventralium & dorsalis primae est. Pone easdem angustum, aequabile hexaëdrum, areolis regularris clathratum, postice alatum supra & infra processibus semiovatis, compressis, carnosis, quinque costatis, quibus insident *P. ani* & dorsalis posterior. Pone hos processus cauda adtenuatior, compressio-heptaëdra, accidente dorsali angulo, subtus vero mollis & inermis.

Color totius cinereo albicans, rivulis exilibus, inordinatis, passim cohaerentibus, crebroque interruptis obsolete brunneis, antrorum & in capite obsoletissimis, crebris in pinnis ventralibus, subatratis in pinna dorsi antica & pinna caudae.

M E N S V R A E.

Longitudo capitis ab apice maxillarum ad oper-		
culorum margines & spinulas nuchae	o. I. ¹¹	2 ¹ ₂ . ¹¹
— — a spinis nuchae ad caudae carneae finem	o. I.	8.
— — pinnae caudae	o. o.	9 ² ₁ .
— — a maxillae super. apice ad spinam orbi-		
talem	o. o.	10 ² ₁ .
— — diametri orbitae	o. o.	1 ² ₁ .
Distantia a spinis nuchae ad basin P. dorsi prioris	o. o.	7 ² ₁ .
Latitudo ejusdem	o. o.	1.
Inde ad basin carneam P. dorsalis posterioris	o. o.	6 ¹ ₂ .
Latitudo hujus, ejusdemque distantia a pinna caudae	o. o.	2 ¹ ₂ .
A basi maxillae inferioris ad gulam	o. I.	0.
Inde ad basin pinnarum ventralium	o. o.	6.
Ab harum basi ad alam pinnae ani carnosam	o. o.	8.
Latitudo hujus fere	o. o.	3.
Longitudo pinnarum ventralium summa	o. o.	10 ² ₁ .
— — pinnae dorsi prioris	o. o.	8 ² ₁ .

A N A T O M I C A.

In specimine meo longitudinaliter aperto, sequentia, quantum ob teneritudinem, & corruptionem a diuturna in spiritu vappidiore conservatione inductam licuit, observavi.

Ventriculus vesicularis. Canalis alimentarius amplius, aequalis, fere recta a ventriculo ad anum deductus. Hepar dexterius, sub initio canalis alimentarii.

Ovarium posterius duplex, ad dorsum longitudinalia, linearia, in anum terminata; referta ovulis flavescentibus, grano papavereo sicco fere aequalibus.



CENTRISCVS VELITARIS.

Est hic levis armaturae miles, quem Ichthyologico exercitui Amboyna pariter misit; non duris cataphractus loricis, ut congeneres duo (*a*) & affines Balistae plurimi, sed molli non bene tutus thorace & brevi hastula in bellum armatus.

Centrisci genus quale intelligitur a nuperrimis Ichthyologis (*b*), primum distinxit LINNAEV^S ex unica illa specie, quae in India satis nota est, ubi sicca e vino pota ad venerem stimulandam commendatur, vocaturque *Ikan-Sumpit* vel *Ikan-Pisan* lingua Malaïca. Huic deinde *Scolopacem* Rondeletii judiciose adjunxit GRONOVIV^S, quem LINNAEV^S etiam deinde secutus est. Tradam heic descriptionem pisciculi ad idem certissime genus referendi, qui simul habitu & fabrica evincet, ad *pisces* referendos esse Centriscos, nec magis cum Amphibiis convenire, quam *Syngnathos*, *Balistes*, *Diodontes*, *Tetradontes*, *Cyclopterus*, inio *Acipenseris* quoque a Piscium classe novam secundum LINNAEI doctrinam divellendos, & *Rajis* atque *Squalis*, vere anomalis, adsociandos. Quo declivorem esse video seriem a Piscibus, per Branchiostegos illos *Artedi*,

per

(*a*) *Centriscus scutatus* & C. *Scolopax* LINN. *Syst. ed. XII.* p. . . sp. 1. Balistarum genus his affine esse praesertim indicant C. *Scolopax*, & quem hic descripsi. Radius, qui Balistis in nucha existit, Centriscis sensim in extremum tergus removetur.

(*b*) KLEINIV^S ante *Jll. LINNAEV^M* *Centrisci* nomine usus est, ad designandos pisces loricatos & simul aculeatos, diversissimos; *Gasterosteos* nempe & *Siluros* peltatos atque *Loricarias* (*Hist. Pisc. Miss. IV.* pag. 48.)

per Anomalos Squalos atque Rajas, & per heteroclitam demum Si-renem lacertinam Linnaei; eo magis in illa sententia confirmor, Pi-sces non *Classe*, sed *Ordine* tantum naturali ab Amphibiis esse disso-ciandos. A natatilibus enim per branchias operculis ventilandas spi-rantibus, non solum per priorem seriem ad Amphibia pedata, sed etiam, per *Muraenas*, per *Petromyzontes*, ad *Serpentia* continua-tur affinitas. Clases vero naturales insigniori hiatu distare debent.

D E S C R I P T I O C E N T R I S C I V E L I T A R I S.

Tab. IV. Fig. 8.

Pisciculus bipollicaris, plano-compressus, oblongo-lanceolatus, dorso convexiusculo, ventre in aciem compresso, ante pinnas ventrales triquetro-carinato; totus quasi setulis recumbentibus & ad-natis hispidus.

Caput lateribus & inter oculos planiusculum, adtenuatur in *ro-strum* tubulosum, compressum, apicis limbis sublacerum, nec ma-xillosum.

Linea angulata seu prominula a rostro ad medium oculum de-currit, & alia supra oculum versus dorsi loricas ducta. Inter has ca-naliculus ante oculos, in quo *pori bini*.

Oculi laterales, *iride* argentea.

Opercula branchiarum plana, integerrima, limbo membrana-ceo nullo aucta, subtus ad rostrum usque rescissa, adeoque ostio per-amplo aperiendae. *Branchiae* largae, 5 parium. *Membrana bran-chialis*, ut *Branchiostegis* omnibus, nulla.

Dorsum anticum duriusculum, scuto rhombico ad aculeum dor-salem terminato, & quasi loricato lineolis obliquis, circiter quaternis.

Spina in medio dorso recumbens, minus, quam aculeus nuchae in Balistis, mobilis; subulata acutissima, subtus canaliculata, aciebus ferrulatis. Sub eaque Spina parvula, in fossulam dorsalem reponenda, priori & dorso ad basin membranula adnexa.

Pinna dorſi (lit. a. b. f. g.) pone spinae apicem, exilis, radiorum circiter duodecim.

Pinnae pectorales parvae, tenerae, radiorum circiter 13. a P. ventrales (lit. c. d.) in medio corporis ad imam ventris carinam, fossula recondendae, tri- vel quadriradiatae.

Pinna ani lata, viginti quinque radiorum. *Anus* proxime ad pinnam, ad $\frac{2}{3}$ longitudinis totius corporis. *Aculeus* minutus ante anum, recumbens.

Cauda teretiuscula (lit. e.); pinna subbifurca, radiorum perfectorum duodecim.

Color totius argentatus, in dorso gryseo-flavescens.

M E N S V R A E.

<i>Longitudo</i> tota ab extremo rostro ad extrem. caudae	0. 2. ¹¹ 5. ¹¹¹
— — rostri usque ad orbitae marginem	0. 0. 6 ² .
— — totius capitis, usque ad marginem operculi	0. 0. 11 ¹ ₂ .
<i>Diameter oculi</i>	0. 0. 2.
<i>Distantia</i> a rostri apice ad ortum spinae	0. 1. 5.
— — inde ad pinnam dorsalem	0. 0. 4 ² .
<i>Latitudo</i> pinnae dorsalis	0. 0. 1 ³ ₄ .
<i>Longitudo</i> spinae	0. 0. 5.
<i>Distantia</i> pinnarum ventralium ab apice rostri	0. 1. 3.
— — ani a rostri apice	0. 1. 6 ¹ ₂ .
— — Pinnae dorsalis & ani a P. caudae	0. 0. 4.
<i>Latitudo</i> pinnae ani	0. 0. 5.
— — summa corporis verticalis	0. 0. 5 ¹ ₂ .

In alio specimine paulo latiore, sed longitudine pari sequentes differentiae,

Longitudo spinae dorsalis 0. 0. 5¹₂.

Latitudo corporis summa 0. 0. 6.

DIODON

D I O D O N M O L A.

Pisciculum ab *Amicissimo SCHLOSSERO*, qui illum e Guinea accepit, communicatum in eadem cum aliis minutis e Piscium ordine Tabula delineari curaveram, quum ad Manus venit *Novor. Commentariorum Acad. Petropolitanae Vol.X.* in quo eadem species a KOELREVTERO descripta & eleganter delineata sistitur (p. 440. tab. 6.) Potuissem itaque omittere quam adornaveram descriptionem. Sed vidi postea LINNAEVM in *Appendice ad primum Tomum Systematis Naturae Edit. XII.* KOELREVTERI pisciculum pro Tetrodonte, & quidem pro varietate *Molae Salviani* collocasse. Quum itaque cum KOELREVTERO a mola vulgari diversissimum apprehenderim, & non solum specie, sed etiam generico charactere oris discrepare videam, minus superfluum fore credidi, si & hoc moneam, & semel exaratam iconem non delerem, sed nova potius descriptione speciem illustrarem. Existimo autem pisciculum huncce, cuius quinque pulcherrima in *Museo Petropolitano* exempla invenio, nunquam in tantam magnitudinem excrescere, ac de *Mola Salviani* notum est, sed ad summum volae manus amplitudinem exaequare.

D E S C R I P T I O DIDONTIS MOLAE.

Tab. IV. Fig. 7.

Caput cathetoplateum, verticaliter semiovale, postice fere truncatum, ad caput crassum, ventris carina prolixa, extenuata, plana, semidiscoidea.

Caput

*Caput indistinctum, ore prominulo, labiato, rostrato officuli
mollibus, aduncis, forma apprime rostri Sepiae. Gula ad ventrem
didyma, bimucronata. Vertex item inter oculos canaliculatus,
fundo canaliculi uniporcato, lateribus longitudinaliter convexe pro-
minulis, medio unimucronatis. Mucro minor in fronte canalicu-
lum antice terminans, quod postice fit a mucrone primo dorsali.*

*Orbitae devexae, supra mucronibus binis. Oculi in fundo or-
bitae, iride argentea.*

*Mucrones quatuor conico-acutissimi, in serie ab aculeis gulae
ad caudam, infra pinnas pectorales longitudinali; horum anticus ca-
piti paroticus, secundus minutus, postremus caudae proximus.*

*Pinnae pectorales supra horum medios arrectae, 14 radiatae.
Et supra pinnas pectorales apertura branchiarum exigua, utrinque
simplex. Branchiae intus distinctae, confertae.*

*Dorsum subarcuatum, mucronibus, praeter nuchae impositum,
binis, interjectisque tuberculis varicosis ternis, & post ultimum mu-
cronem unico. Postremo dorso assurgit lacinia carnos - cutacea,
acuta, postice radiis ciliata; quae Pinna dorsi.*

*Carina ventris semicircularis, mucronibus anterius binis, po-
sterius unico, interjectisque parvulis varicibus submucronatis varico-
sa. Latera ventris ad partem ventricosorem papillis 2. acutis, di-
stantibus, una post alteram. Praeterea ad dorsum utrinque aculei
bini, anterior minor, efficientes cum spina supra oculari seriem ar-
cuatam.*

*Margo corporis posticus argutus, integer (fig. 7. a. b. c.) in me-
dio lacinia carne, obtusa, mutica, deorsum directa productus (quae
est cauda (litt. b.), supraque eam integerrimus & versus laciniam dor-
salem (litt. a.) ciliatus, infra caudam leviter excisus. Anus sub cau-
da, & pinna tenerrima in margine longitudinalis (litt. c.)*

*Color versus dorsum sensim nigricans, infra albo-argenteus, us-
que supra pinnas pectorales.*

SPARVS INSIDIATOR.

Amicissimus JOH. ALBERT. SCHLOSSERVUS, cuius erga me animum aequa ac in rem naturalem merita nunquam satis laudavero, mirabilem Insecta aquaticis plantis insidentia dejiciendi facultatem, non modo in *Chaetodonte rostrato* inter Indicos pisces satis noto & ab *Jll. LINNAEO* (*Mus. reg. Vol. I. p. 61. tab. 31. fig. 2.*) optime descripto, observari docuit (*Actor. anglicor. vol. 54. artic. 14.*) sed alium quoque ab isto diversissimum pisces in Belgio degenti mihi monstravit (a), quem in Java Europaei, ob eandem Insecta jaculandi artem

- (a) Quum nescius sim, quandonam *Cel. SCHLOSSERVUS* pisces, cuius hic fit mentio, descriptionem inter rariova *Musei* sui, quae illum magno Historiae naturalis emolumento edere coepisse audio, sit editurus, brevem hic ejus tantisper adjiciam adumbrationem, praesertim quod eum nullibi apud auctores extare video: *SCIAENIS* vel *Sparis* adnumerandus videtur. *Magnitudine* ex India mittitur Cyprini rutili mediocris. *Corpus* macro-lepidotum, compressum, latum, dorso convexo, versus pinnam adscendente, abdomine ante anum tumidulo, carinato. *Caput* undique squamosum, corpore paulo crassius, supra planiusculum; *Os* adscendens, maxilla inferiore multo longiore; *maxillarum* margines subtilissime scabri; *palatum* osseum, fornicato, scabrum; *Lingua* plana, acuta, apice libera, supra basin in medio gibba. *Oculi* magni, iridibus fulvo-aureis. *Opercula* branchiarum integra, limbo membranaceo; *membrana branchialis* quadriradiata. *P. pectorales* acuminatae, radiorum 12. in tribus speciminibus. *P. ventrales* paulo posteriores, sexradiatae, triangulares, inter se membranula conneccae, aliaque ad hanc perpendiculari abdomini adhaerentes (Uti descripsit *GRONOVIVS* in pisce quodam, quem minus apte *Gobium* vocat, *Zoophyt. Fasc. I. p. 82. n. 278.*) radio primo osteo, arcuato firmatae; *Squama* singularis, lanceolata, freno pinnarum ventralium utrinque accubat. *P. dorsalis* basi subcarnosa, caudae adproximata, per dimidium dorsi extensa, adscendens, radiis spinosis quatuor, & 9—11. ramosis. *P. ani* e carina caudae productiore, radiorum 18. e quibus tres spinosi. *Cauda* subaequalis, radiorum 17. *Color* pisces aureus, in dorso fuscescens. *Maculae* transversae fuscae, aequidistantes, ad dorsum utrinque quinque; prima ad caput, ultima ad caudae pinnam. Descripsi pisces e speciminibus Optimi *SCHLOSSERI* & *DN. van Hoeve* Poliatri Hagani.

artein, in magnis vasibus aqua marina plenis servare & muscis in bacillo supra aquam erecto eminus oblatis exercere solent. Ambo nempe hi pisces singulari mechanismo, e structura oris, in utroque diversissima, minime explicando, aquae guttulam in Insectula, ad trium pluriumve pedum distantiam a se supra aquam remota, tanta vi jaculantur, ut ea plerumque dejiciant, sibi praedae fututa.

Tradam hic aliam in Pisce quodam Indico observabilem remotam praedam adipiscendi methodum, qualem fere in Larvis Libellorum observarunt Infectologi: ipso nempe ore seu maxillis emissilibus secura, quibus inhiant, animalcula decipiendi. Pisces quidem innumeri interiora oris ossea labia, sive maxillas mobilissimas diducendo os magis minusve protendunt; Imo in nonnullis, v. gr. *Zeo Fabro* (LIN. sp. 3.) & congeneribus, *Labri specie a CATESBAEO (carolin. vol. 2. tab. 11. fig. 29.) delineata, Uranoscopo*, aliisque os satis longe producit ad captandam escam. At in nulla facile Natatilium specie in tantae longitudinis tubum, pro lubitu piscis emissilem aut retractilem, effectum hucusque vidi, quam in singulari illa *Spari* specie, cuius hic iconem & descriptionem propono, ad confirmanda ea, quae circa hanc ipsam singularem oris in eo pisce fabricam, modumque quo praedam decipit, adscripta invenimus iconismis ejusdem inter famosas illas *Renardianas* picturas occurrentibus.

Duplices inter has *Spari* nostri exstant icones, colore diversissimae, quarum tamen neutrae cum siccati nostri speciminis colore convenient. In primo scilicet operis supra citati volumine fol. 42. num. 209. 210. duo sunt, altera emissio, altera retracto rostro, corpore fusco, adscripto nomine deceptoris (*Le Trompeur, de Bedrieger*). Deinde secundi voluminis fol. 4. num. 13. & fol. 17. n. 18. duo aliae sunt, itidem retracto altera, alteraque emissio rostro, rubri ambo coloris, cum hoc titulo: *Passer, le Filou*. Adscriptae his iconibus notnlae docent, „hunc piscem in fundo aquarum immobilen pisciculis aliisque insidiari, quae subito emissio rostro, ubi propius accesserint, inopinantes corripit.“

Occurrunt autem, praeter istas, distinctae hujus piscis icones etiam apud HENR. RYYSCHIVM (*theatr. animal. vol. I. p. 3. tab.*

tab. 2. n. 6.) qui Sparum nostrum *magni Impostoris* (*groote Bedrieger*) nomine notat; itemque, ni fallor, apud VALENTYNVM (*Ind. nov.-antiq.* vol. III. p. 384. n. 122.) cuius *Megastomus* (*Groot smoel*) obscurius descriptus, eundem nostrum significare videtur.

Deinde in picturarum Indicarum *Fasciculis*, quos apud Curiosos passim perlustravi, & ubi rubro semper colore Sparum nostrum exhibitum & nomine *Impostoris* potius *rubri* (*roode Bedrieger*) designatum inveni, varia de eo, praeter supra adlata, inveni. Vivum semper dilute rubrum esse, quaedam tradunt apographa, mortuum fuscedine imbui; In aliis exemplaribus inveni, eum saepe ad Carpinonis molem excrescere, circa Insulam Nassau ad Sumatram imprimis abundare, & coctum, varioque modo paratum in epulis adhiberi. Plura de admirandi hujus piscis indole neque rescire, neque apud Ichthyologos prodita invenire potui. Meretur autem utique, ob oris singularem structuram, meliori, quam supra citata, iconē & accurata descriptione illustrari.

DESCRIPTIO SPARI INSIDIATORIS.

Tab. V. Fig. 1.

Corpus compressum, cyprinaceae figurae, latiusculum, obesum, squamis magnis tectum. *Anus* in medio fere longitudinis. *Linea lateralis* prior dorso propinquior & subparallelia, usque ad pinnae dorsalis finem deducta; altera sub fine prioris incipiens & per medium caudam decurrentis.

Caput compressum, inerme, totum squamis magnis, uti corpus, imbricatum. *Oculi* laterales.

Os emissile, tubulosum, compressum, ipso capite longius, terminatum maxillis bipartitis, margine osseo nudis atque granulosodenticulatis; *dentibus* singulae duobus, in medio, majoribus, rectis, conicis. *Membrana* crassa tubum perficit.

Sceleton tubi fere ut in Zeo fabro. Nempe supra trabeculae' 2 ossiae planae, contiguae, parallelae, maxillae superiori angulo recto immiscae, interque cranium & denticulatam cutim retractiles. Maxilla inferior ramis retrorsum producta, extremo subtrilobis, quibus laterali articulatione uniuntur ossa plana tubi lateralia obliqua, quae rostrum distendunt; subtus vero ossicula s. fulcra carinalia, longitudinalia, disformia, quibus coarticulantur singuli vectes, inde sub oculis firmati, maxillam subtus protendentem.

Opercula branchiarum integerrima, squamosa. Membrana branchialis quinqueradiata.

Pinnae pectorales radiorum undecim.

P. ventrales sub pectoralibus positae, sexradiatae, radioque secundo & tertio productis acuminatae.

P. dorsi instructa radiis 9. spinosis, quorum primi minores; totidemque ramosis, e quibus penultiimi sensim longiores.

P. ani figura dorsali similis, radiorum 11. quorum tres priores spinosi, penultiimi longissimi. Pinnae dorsi anique squamis singularibus, semilanceolatis utrinque stipatae.

P. caudae radiorum 11. distantium, subaequalis, nec nisi radiis extimis productioribus subforcipata.

Color in dorso ruber, per latera flavescent, marginibus squamarum aeruginose viridibus, in siccato etiam specimine, pulchre praeparato, quales ex Indiis mitti nunc solent. Pinna dorsi anique viridi fasciolatae, reliquae flavescentes.

MENSURA E.

Longitudo speciminis a tubi exserti extremo,

ad extremos apices caudae	-	o. 10. ⁱⁱ o. ⁱⁱⁱ
— tubi ossi pro ore exserti	-	o. 1. 6.
— maxillae inferioris, qua dentata est	-	o. o. ⁱⁱ 4. ⁱⁱⁱ
— capitis a basi tubi, ad operculorum margines	o.	2. 5. ⁱⁱ

Latitudo corporis summa ad initium pinnae dorsalis o. 2. 8.ⁱⁱ

LABRVS

LABRVS
TRICHOPTERVS.

Frequens occurrit haec Species inter pisces Indiae orientalis, qui *Gronoviana methodo* siccata in Belgium nunc satis copiose Java atque Amboyna adserri solent. Tali modo praeparata ejus aliquot specimina, cum pulcherrima Chaetodontum caterva domo mihi fecit olim *Perillustris DE RENGERS Liber Baro* ex antiqua Frisonum stirpe, cet. qui me multis aliis hujusmodi munificentiae suae testimonii obstrictum tenet.

Frusta diu Labrum nostrum apud Ichthyologos quae siveram, donec ejus descriptionem & iconem a Cel. KOELREVTER propositas invenirem in *Novor. Comment. Petropol. Vol. IX. p. 452. n. 7. tab. 10. fig. 1.* Iconem ideoque, quam jam conficiendam curaveram, expunxi; descriptionem vero addo, quia aliqua continet a KOELREVTERO praetervisa vel non dicta. De natura autem hujus piscis omnino nihil addendum habeo.

D E S C R I P T I O
LABRI TRICHOPTERI.

Corpus compressum, posterius pinna carinatum & in aciem produtum; dorsum convexum, ad pinnam usque rectum, pectus crassiusculum. *Linea lateralis* (a) a dorso declinans, supra maculam lateralem deorsum inflexa, hinc in medio recta, prope caudam vero sub-interrupta. *Anus thoracicus*.

Caput minusculum, totum squatum. *Os* parvulum, adscendens, maxillis emissilibus margine scabris.

a) Ob *Lineac lateralis* dispositionem ad *Labros* hunc pisces retuli; quamvis Sparum dixerit KOELREVTERVS. Spari autem habent lineam lateralem dorso propiorem, & pone Pin. dorfi abruptam, inferiusque pergentem. Imo haec sola vera & constans nota Sparos a Labris distinguit. Vix alia.

Nares in fissura oblonga inter oculos & labium superius, geminae, priores minores, membranula operculatae.

Oculi mediocres, iride aurea. Opercula branchiarum squamata, limbo membranaceo. Membrana branchialis.

Pinnae pectorales tenues, pallidae, novemradiatae.

P. ventrales constant radio unico setaceo, antenniformi, basin caudae aequante, & minutissimis introrium . . . ramentis membranula arte adnexit.

P. dorsi basi squamata, fusca, radiis constans spinosis 4, e quibus primi per breve, & fissilibus 7.

P. ani e carina abdominis, retrorsum sensim productior, usque ad caudae basin continuata, radiis anterius 4 spinosis, at fissilibus 38. quorum 9. priores confertissime recumbunt.

P. caudae ab anali distincta, rotundato-biloba, radiorum 16. (KOELREVTERI iconē nīmū forcipata & acutioribus, quam debet, lobis depingit.)

Color corporis obsolete fusco-pallidoque subundulatus, in capite pallidus lituris fuscis, pinnis posterioribus fuscus. Puncta alba in P. caudae crebra & aliqua in P. ani. In latere corporis medio & ad basin caudae macula utrinque orbicularis fusco-nigra, halone dilutiore cincta. (Colores e specimine Spiritu macerato descripti KOELREVTERVS.)

M E N S U R A E.

Longitudo ab ore ad initium pinnae caudae vulgo	3." 6."
— — pinnae caudalis	0. 10.
— — a rostro ad oculum	0. 3½.
Diameter oculi	0. 2½.
Ab ore ad marginem operculi	0. 10½.
— — pinnae pectorales	1. 1.
— — pinnam dorsi	1. II.
— — pinnae ventrales	1. 2.
— — ad anum	1. 5.
Longitudo filii seu radii setacei ventralium	2. 4½.
— — pinnarum pectoralium	0. 8½.
Latitudo corporis ante pinnam ani	1. 2.

GADVS

G A D V S

B L E N N I O I D E S .

Neque hunc pisces, quod sciam, haec tenus descripsit quisquam. E Mari mediterraneo adlatus fuit. Forma corporis Gadis elegantioribus similis, pinnarumque numero ex instructissimis est; tres enim in dorso, & duplēcēm ani pinnam habet, quod ex hoc genere paucissimi. Pinnis ventralibus didactylis ad Blennios accedit, cum iisque adfinitatem jungit. Mollitie atque cutis teneritudine congeneribus convenit.

D E S C R I P T I O
GADI BLENNIOIDIS.

Tab. V. Fig. 2.

Magnitudo dodrantalis; habitus fere Merlangi.

Caput crassum, compressiusculum, conicum, obtusum. Labia carnosa, duplicita: inferius paulo brevius, ad maxillae apicem coadunatum, cirrhoque molli setaceo subtus barbatum. Anguli oris prolixii, fossula recondendi. Maxillarum margines denticulis minutis inaequalibus ferrulati, superior minutissimis, nec nisi senis per intervalla conspicuis. Lingua ovata, carnosa, prominens, margine arguta. Palatum longitudinaliter striatum.

Nares patulae, proxime ante oculos: maiores oculo propiores, intus papillosoe, minores anterius & superius positae, vacuae.

Oculi

Oculi magni, plano-prominuli, periophthalmio laxo, molli obducti. Irides argenteae.

Opercula branchiarum mollia, superius angulata. Membranae branchiales sexradiatae, sub gula cohaerentes, & pedunculum gulæ amiculantes. Branchiae Lernaeis magnis, infra describendis infestatae. Pori muciferi quatuor insigniores utrinque per maxillam inferiorem dispositi; & utrinque ad cirrhum menti unicus.

Pinnae molles, cute laxa pingui obductae, radiis exilissimis. Cutis haec maxime in basi pinnarum dorsarium & ani prioris laxissima.

Pinnae dorsi reclinatae tres: prima angusta, triangulari-acuta, radiorum 10 vel 11, tumque primo geminato, posterioribus minutis.

Secunda radiorum septendecim, humilior; tertia paulo altior & brevior illa, radiorum 16.

P. pectorales angustae, subfalcatae, tenuissimae, 19. radiorum.

P. ventrales ante pectorales, compositae e radio praelongo, crassiusculo, molli bifido seu didactylo, & quatuor interius exilissimis, decrescentibus.

P. ani prior rotundata, radiis fulta circiter 23, intra laxissimam cutem, maximie antrorum, vix numerandis.

P. ani secunda radiorum 19; subtriangularis. Utraque dorsibus posterioribus opposita, & ut illae, reclinata.

Cauda bifurca, laciniis rotundatis; radiorum 27. praeter fulcra numerosa.

Corpus pingue, convexum, compressum, lateribus planiusculis, ad primam dorsi pinnam adsurgens, molle, squamis minimis supra lineam lateralem scabriusculum. Linea lateralis anterius arcuata, dorso propior, a medio pinnae ani prioris recta, in medium intervallum musculorum coincidens. Anus non longe a pinnis ventralibus, jugularis, simplex.

Color totius albo-argenteus, versus dorsum subgryfeus; pinnae flavescenti albae, etiam dorsales.

M E N S V R A E.

Longitudo tota ad extremas lacinias caudae	O. 5. ⁱⁱ	11. ⁱⁱⁱⁱ
— — ad finem caudae carneae	O. 5.	4.
— — capit is, ad mucronem operculorum	O. 1.	5.
— — ab oculo ad operculorum apicem	O. O.	7.
— — diametri oculi longitudinalis	O. O.	5.
— — diametri oculi transversalis	O. O.	4. ⁱ .
— — distantiae narium proximarum ab orbita	O. O.	2. ⁱⁱ .
— — — — alterius naris	O. O.	1. ⁱⁱ .
— — — — cirrhi in mento	O. O.	4.
— — — — pinnarum pectoralium	O. O.	11. ⁱⁱ .
Distantia ab apice rostri pinnae dorsi primae	O. 1.	8. ⁱⁱ .
— — P. dorsi secundae	O. 2.	5.
— — — — tertiae	O. 3.	8. ⁱⁱ .
— — ejusdem a basi pinnae caudae	O. O.	4.
— — ab apice maxillae pinnarum ventralium	O. 1.	2. ⁱⁱ .
— — — — ani	O. 1.	7.
— — — — pinnae ani prioris	O. 1.	10.
— — — — — — secundae	O. 3.	7.
— — ejusdem a pinna caudae	O. O.	3.
Latitudo P. dorsalis primae	O. O.	7. ⁱⁱ .
— — — — secundae	O. 1.	3.
— — — — tertiae	O. O.	10. ⁱⁱ .
— — P. ani prioris	O. 1.	11.
— — — — secundae	O. 3.	7.
— — — — corporis verticalis ad P. dorsi priorem	O. 1.	5.
Crassities ibidem	O. O.	7.
— — capit is	O. O.	8. ⁱⁱ .

S A L M O G A S T E R O P E L E C V S.

Ita a Cel. GRONOVIO (*Mus. Ichthyol. vol. 2. p. 7. n. 155. tab. 7. fig. 5.*) pariter, ac KOELREVTERO (*Nov. Comment. Petropol. vol. VIII. p. 405. tab. 14. f. 1, 2, 3.*) descriptus fuit hic pisces, ut actum agerem, si descriptioni ejusdem immorarer. Ergo, quod circa hanc speciem monendum habeo, breviter exposuisse sufficiat.

GRONOVIVS anomalum creditit pisces, ad nullumque genus referri posse. Hinc proprio nomine *Gasteropelecum* appellavit. LINNAEVVS postea, ob carinam ventris argutam, quamvis ea non sit ferrata, sed ossea fere, *Clupeam* vocavit, addito *Sterniclae* cognomine (*Syst. nat. Ed. X. p. 319. sp. 7.*); & GRONOVIO filius, qui suo pinnas ventrales esse negaverat, ex specimine Academiae holmienensis, curiosius observato & minutus ante annum pinnas ventrales exhibente, aliam constituit speciem, quam *Clupeam simiam* vocavit. (*loc. cit. sp. 6.*)

Mirum quod III. LINNAEVVS, qui ventralium pinnarum minutissima primordia in Gasteropeleco ante KOELREVTERVM notavit, attentissimus observator, non viderit pinnulam adiposam in cauda, pone dorsalem pinnam collocatam; quae Gasteropelecum Salmonem facit, cui etiam generi ex habitu accedit. Etenim si ad adfinium, in genere *Salmonis*, specierum, *Salmonis* praesertim *notati*, *bimaculati*, atque *gibbosii* (*Lin. syst. Ed. XII. p. 513.*) formam & pinnarum situm adtendas, Naturam in insolita quoque Gasteropeleci conformatione, nihil abrupte fecisse patebit. Ut genericus ille appareat Gasteropeleci character, Surinamensem varietatem

tatem in *Tabulae III. fig. 4.* delineari curavi; ibique *a.* locum indicat, ubi desinit *acies abdominis ossea*, *b.* incisuram carinae abdominis, cui insident *pinnulae ventrales minutissimae*, *c.* vel *sexradiatae*, & *c. pinnulam dorsi adiposam*, medio inter caudam & dorsi pinnam radiatam positam, quam neque *GRONO VII* neque *KOELREVTERI* accuratior icon exprimit. Et haec quidem pinnula inquirenti mihi in omnibus semper *Gasteropeleci* speciminibus, quae Surinamo pariter & Amboyna copiosissime adlata vidi, quorumque ipse sex vel septem habeo, distinctissime apparuit. Spero itaque de genere hujus pisciculi, qui nunquam fere magnitudinem datae iconis excedit, posthaec dubium nullum amplius futurum. Pertinet ad *Salmones Characinos* & proxime ad *Salmonem bimaculatum* (*LIN. sp. 22.*) & *gibbosum* (*sp. 20.*) collocari meretur.

Quum aliquot hujus pisciculi exempla forte fortuna siccasset, squamigerae carnes ad carinae abdominis latera retractae utrinque discesserunt, nudusque apparuit margo *sterni* seu laminae ossae, carinae aciem constituentis & a gula usque ad imam alvum pertingentis. Adest in omnibus piscibus lamella ossea a gula ad ventrales pinnas posita, proque his firmandis destinata. Haec in *Sternicla* immane quantum aquæ sit *figura 5.* Tabulae monstrat, ubi lamina sternalis ejus, ab omni carne denudata depingitur. Haec lamina ossea est, sed tenuissima, & papyracea quasi, totaque radiis a condylo laminae (*fig. 5. a.*) divergentibus ita arata, ut sint ab uno latere parci obsoleti, ubi ab altero sulci similes. Huic laminae anteriori margini parallela & conjuncta est arista bicornis (*litt. b.*), gulæ subiecta, & rhachi branchiarum. Alia conexio ejus est cum annulo osseo aperturae branchialis posticum marginem firmante. *Condylo gemino* seu capiti laminae sternalis (*litt. a.*) utroque latere adarticulatur Pinna pectoralis, cuius violentiori motui, per majores & late expansos musculos, unice destinatam esse insignem hanc laminam, suadet analoga sterni structura in avibus, & robusta compages harum pinnarum, quae falcatae quasi sunt. Abdominis cavitas supra hujus laminae superiorem marginem incumbit, nec propinquior, quam in piscibus solet; imo, ferme dixerim, strictior potius.



S A L M O R H O M B E V S.

Aeque anomalus est in suo genere *Salmo rhombeus*, quem Ill. LINNAEVS in *Syst. Ed. XII.* p. 514 /p. 28. nominavit, & forte inter Dalbergiana Curiosa „Museo Petropolitano postea illata vidit. Habet illius elegantissima aliquot specimina Museum laudatum, unde icon nostra & descriptio confectae fuerunt. Quisnam sit magnitudinis huic speciei terminus, neque LINNAEVS dixit, nec ipse scio. E maximo Musei specimine mensuras adjeci. Vix tamen dubito ad majorem molem excrescere hos pisces, si verum sit, quod tradit LINNAEVS: „anatum pedes eosdem praemordere in Surinamensibus aquis. — Structura peculiaris carinae abdominis observata Salmoni nostro in nulla alia piscium specie similis occurrit, non enim, ut in Clupeis simpliciter squamis serrata est, sed ex ipsa carina serie denticulorum sive aculeorum serrata. Mirabile autem, dari Piscem Surinamensem, Salmoni nostro simillimum, similique carina serratam, quae tamen dentium atque pinnae adiposae defectu ad aliud fere genus releganda videtur, quamvis numero radiorum in pinnis & corpore toto (magis tamen oblongo) Salmonis rhombei germanus quasi frater sit. Anne sic forte sexus variat? Alio Fasciculo hunc affinem *Salmonis rhombei* describam, ut alii judicent.

DE-

D E S C R I P T I O
SALMONIS RHOMBEL.

Tab. V. Fig. 3.

Forma fere Carassii, itemque magnitudo in specimine nostro: ma-
jora autem dari verosimile.

Caput antice corpore crassius, ad opercula compressius. *Os*
obtusum, amplum, tenuiter labiatum, inferiore maxilla longiore.
Dentes in maxillarum marginibus triangulares, acutissimi mucrone
atque acie; *infra* contigui, anterius majores, exceptis duobus me-
diis parvulis; *supra* subreclinati, alternique minores. *Limbus* denti-
bus interius accubans, carnosus, discretus. *Palati* profunde carina-
ti margo utrinque confertim dentatus, antice limbo membranaceo
series connectente. *Lingua* mollis, subacuta, plana, marginibus
adscendentibus.

Nares ante oculos contiguae, amplissimae, interjecto ungue
membranaceo discretae, anteriores rotundatae, posteriores subreni-
formes.

Oculi orbitis demersi, ampliusculi; *Irides* aureae.

Caput nudum; *opercula* striata. *Membranae branchiales* qua-
drilaminatae. *Aperturae branchialis* margo posterior *lamina* arcuata,
ossea, insigni firmatus.

Corpus microlepidotum, valde compressum, ovato - lanceola-
tum: *Dorsum* subangulatum, a nucha & denuo ad pinnam gibbo af-
surgens. *Abdominis carina* ante anum argute compressa, acie ab
ano fere ad gulam usque *dentibus* osseis, conicis, acutissimis ferrata.
Anus circa medium corporis. *Spatium* exiguum inter anum & ejus
pinnam canaliculatum; adstante ad anum utrinque aculeo & deinde
squamula. *Linea lateralis* in medio latere recta, versus caput oblo-
lescens.

Pinna dorsi radiorum 17, quorum primus minutus; secundus
maximus, simplex, sed mollis; reliqui ramosi. *Aculeus* antrorsum
decum-

decumbens, postice bimucronatus ante pinnam dorsalem (fig. 3. a.).
Pinna adiposa limbo terminali subciliata.

P. pectorales radiorum 17. sensim decrementum, solo primo simplici.

P. ventrales radiorum 7. parvae. *Appendix* supra pinnam utrinque ventralern (Salmonibus solemnis) huic speciei minima, linearis.

Pinna ani basi carnosa ex carina corporis productior, magna, radiorum 32. in quibus primus crassus, simplex, in aciem compressus & ad basin ossiculo triquetro antice stipatus; reliqui ramosi, & ex his ultimus exilis, sed subgemellus.

Cauda insignis, biloba, inferiore lobo paulo majore, radiis composita 22. praeter fulcra utrinque robusta.

Color e gryseo vel lutescente argenteus, versus dorsum fuscescens. Pinnae maxime ani & caudae margine nigricantes vix dorsalis,

M E N S V R A E.

Longitudo tota ab apice maxillae inferioris ad

apicem lobi inferioris caudae	7. ⁱⁱ	4. ⁱⁱⁱⁱ
-------------------------------	------------------	--------------------

— — ad medium caudae sinum	7.	0.
----------------------------	----	----

— — maxillae inferioris ad sinus oris	0.	9. ^{ib}
---------------------------------------	----	------------------

— — a sinu oris ad operculorum marginem	1.	5.
---	----	----

Latitudo corporis ad pinnam dorsalem	3.	0.
--------------------------------------	----	----

